



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TRICHURIENSIS*** NOVA PROVINCIA

ECCLESIASTICA TRICHURIENSIS CONSTITUITUR,

CUIUS METROPOLITANA SEDES ERIT ECCLESIA EIUSDEM NOMINIS

Ad augendum spirituale bonum Christifidelium Ecclesiae Syro-Malabarensis haec Apostolica Sedes anno millesimo octingentesimo octogesimo septimo constituit Exarchiam Apostolicam Trichuriensem, quae deinceps, anno videlicet millesimo nongentesimo vicesimo tertio, gradum Eparchiae est consecuta. Anno autem millesimo nongentesimo septuagesimo quarto, quadam parte seiuncta ab eadem Eparchia, nova Eparchia Palghatensis est condita atque quattuor post annos, Eparchia Trichuriensi denuo divisa, alia Eparchia Irinialakudensis constituta est. Quo aptius ergo Eparchiae, quas diximus, artioribus vinculis coalescant itemque consociata et efficaci actione pastorali operentur, opportunum est visum eas in novam ecclesiasticam Provinciam erigere. Nos igitur, pro gravissimo, quo fungimur munere de totius Dominici gregis salute solliciti, audito Venerabili Fratre Nostro Achille S.R.E. Cardinali Silvestrini, Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, summa Nostra potestate Provinciam ecclesiasticam *Trichuriensem* constituimus, cuius Ecclesia princeps erit Eparchia hucusque Trichuriensis, quam ad gradum et dignitatem Metropolitanae Sedis evehimus, omnibus tributis iuribus, officiis ac privilegiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem uti suffraganeas Eparchias Palghatensem et Irinialakudensem. Quae vero iussimus ad effectum adducantur secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium. Insper de hoc absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad memoratam Congregationem mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

ACHILLES card. SILVESTRINI

Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 11, pp. 984-985 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana